Academicae epistolae urbanae

Johann Sturm

AD SENA-
TVM.



VIT QVONDAM tribus pręclara laudibus Athenienſium Reſpublica: nã & bonis fuit à Solone conſtituta legibus: quarum domi militiæq́; autoritas eſſet: & militari uirtute floruit: in totiuſq́; Gręcię imperio cum paucis aliquando excelluit: & literarum ſtudiis, maximum nomen habuit: exiſtimatumq́; eſt, eam omnium artium inuentricem, & prope procreatricem eſſe.

Sed bellicę uirtutis nomen, commune cum Lacedæmoniis habuit: cum Philippo uerò & Alexandro, fortunã habuit inferiorem: & tandẽ, quicquid nominis erat, amiſit. Et Solonis leges partim ab ipſis prætoribus com-

mutatæ Romæ sunt; & leges à Romanis sapientiùs fixæ, apud quos earum pars maior diutius culta est, quàm apud eos, à quibus translatæ Romam ad septemuiros erant.

Literarum uerò gloria: tot iam elapsis seculis, ex quo Athenæ euersæ sunt: adhuc in ore omnium literatorũ hominum est: & eo apud nos maior literarum honos; quo minus nos, quam illi, doctrina literarum possumus. quod uerò maius est, cum leges ciuitatis ferè omnes antiquatæ sint, tamẽ literarum monumenta præcipua, nobis tot post seculis sunt diuinitùs relicta: Poëtarum, Historicorum, Mathematicorum, Philosophorum.

Ac certè si licet mediocria cum maximis cõparare, licebit mihi etiam de nostra ciuitate aliquid dicere: præsertim ad uos Patres cõscripti, qui ex præcipuis ordinibus estis, & iudicare potestis, uera ne sit uox mea ad laudem: an falsa & ad adulationem composita.

Licet

Licet autẽ mediocria cum summis componere, propterea quod uirtus in medio posita, & mortalitatẽ propter mediocritatem non extimescit, & diutius steterũt mediocres opes urbium, quam ingens populi & immanis potentia.

Et bella quidẽ maiores nostri ita gesserũt, ut sua solùm tueri, aliena nõ appetere uiderentur. & cum leges atque facultates à maioribus accepissent: leges emẽdatas, facultates auctas, ad posteros & ad nos adhuc conseruarunt: & ita auctas facultates, ut frugalitate illæ potius & prudentia: quàm ui aut armis comparatæ sint. & ita leges correctas, ut istud religionis potius norma, quàm uoluntate impulsi fecerint. hanc rationẽ Deus, hãc mediocritatem ueritas, perpetuã esse uult: hãc immortalẽ, si quid natura sinat esse immortale.

Literæ in nostra urbe restabant, quas cõtenti puerili instituto, ut olim Romani, ab urbe Athenis: sic maiores

nostri à uicinis Academiis, eō liberis uestris missis: maluerunt accipere, quā domi perfectum aliquid instituere: ut tunc ferebant tempora.

Nunc uerò uita, & moribus, & periculis, & usu edocti: huiusmodi educationis atque doctrinę beneficia aliis impertiri: quàm ab illis accipere placitum est: quæ quondam Atheniensium fortuna etiam fuerat.

Erat enim Athenis phanum Herculis, quod Cynosarges appellabatur, in quo pueri spurii gratis alebantur. sed non solùm hi ibi educabantur: uerum etiam ciuium liberi erudiebantur doctrina literarum. Hoc in loco literarū erant scholæ, ante Academiam Platonis, aut Stoicorum porticum, aut Aristotelis lyceum: hoc etiam contenti loco, nihil uisi sunt requirere perfectius.

Ita etiam uos, annos iam triginta duos classibus acquiescentes: satis & uestris liberis prouisum esse, & exteris

com-

communicatum ſtatuiſtis.

At ante biennium Cæſaris comparato beneficio: & noua Academia conſtituta: nobis quaſi præſcribere uidemini: quid claſſicis exercitationibus nos oporteat adiicere.

Itaque mihi commiſſa eſt confectio Academicarum epiſtolarum: ut meo arbitratu: quid de Academia inſtituenda ſentiam: id ad amicos epiſtolis explicem.

Atque hac in re uoluntatem ueſtrã, atque conſenſum: pro re præclare geſta habeo: & militari uel triumpho antepono. Prælium enim cum primum commiſſum eſt, eſſe deſiit: Lycei uerò alicuius, aut Stoæ, aut Academiæ conſtitutio: ſimul ac inſtituta eſt, eſſe incipit: & diuturnitatem pollicetur: & immortalitatem ſperat: & quotidianos gloriæ fructus quotidianis laborũ ſeminibus parit in æuum, dum mundus ſtabit, perpetuum.

Quamobrem quæ res mihi commiſ

ſa eſt,& à me ſuſcepta, non ab ea digre diar: antequam totam eam uobis effe-ctam attulero.

Et quanquam nihil ab iis ſcribam diuerſum, quæ in libro de literarum lu dis rectè aperiendis tradidi: tamẽ pau-lò altiùs aſcendam: & longiùs progre-diar: ut ex his appareat, quæ tum ſpera rim, quæúe prouiderim.

Proponam uerò mihi florentiſſi-mas illas Athenas: quæ uno tempore & militiæ duces habuerunt clariſſi-mos: & rerum geſtarum explicatores ſummos: poëtas etiam excellentes: & oratores perfectos: & tribus in locis tres maximorum philoſophorum fa-milias: in Academia, Stoa, & Lyceo: qui uiri, quam magni fuerint indu-ſtria, diligentia, doctrina: indicio ſunt libri illorum quos conſcripſerunt: & qui à Diogene Laërtio, & à Suida nu merantur: & intelligi poſſunt ex reli-quorum ſcriptorum autoritatibus.

Ac in huius, quicquid id futurum

eſt:

est: scripti confectione: uos appellare atque mihi aduocare uisum est, ut ostē dam hominibus, uos bonarum artium patronos esse: & quæ instituimus, ac quæ facimus, id nos uobis autoribus suscipere. Valete. Argentorati.

AD SCHOLARCHAS:

HENRICVM MVLHEMIVM, CA=
rolum Miegium, & Fridericum Goteshemium.



AGNVM NOMEN EST: magistrum artium libera=lium atque Philosophiæ appellari: & ipso Philoso=phi cognomento gloriosius. Omnium enim rerum scientia, i=psaq; sapientia, propria Dei est posses sio atque facultas: harum uerò rerum studiosum esse; semper honestum est habitum. Non excedit uerecundiæ fines: qui ad omnium rerum limites co natur aspirare. Itaque concessum est

omnibus: naturam rerum perquirere: & omnia ea diſcere: quæ Phyſici tradiderunt de mundo, & omnibus illius partibus, totoqꝫ ornatu eius: de principiis etiam rerum, ex quibus omnia orta ſunt: etiam ea cognoſcere quæ de prima philoſophia à magnis autoribus ſunt prodita: animum etiam altius eleuare: & formas rerum quaſi à ſuis abſtrahere corporibus: & quicquid numeroſum eſt, in doctrinam redigere: quicquid figuratum eſt, eius figuram multiplicem partiri: modos etiam uocum per ſe conſiderare: & inter ſe componere. cœli motus annotare, atque diſpertiri. Denique quicquid Phyſici, primi ſapientes tradiderunt: quicquid Mathematici: id nolle ignorare: id induſtrii adoleſcentis, atque etiam boni ſenis officium eſt.

Neqꝫ hæc ſolùm ſcire uelle laudabile eſt: ſed etiam glorioſum ad uitã atqꝫ ad mores traducere. ut non ſola ſedeat ea pars Philoſophiæ quæ θεωρικὴ

dici-

dicitur: sed cũ comite incedat sua, quæ πρακτικὴ est nominata, eamq́; docebit, agros colere, uites plantare, pecudes alere, apes custodire, quæ omnia sibi agricultura arrogat, & huic non dissimilis quæ οἰκονομικὴ dicitur. Arces sibi etiam hæc Pallas condet, & sacras ædes ædificabit, & theatra constituet, & cætera faciet ædificia, architectosq́ue erudiet. Etiam imperatores docebit exercitum conficere, tyrones exercere, aciem constituere, urbes oppugnare, prælia committere, quæ artis sunt militaris. Neque enim Minerua solùm ex Iouis cerebro suum ipsa attulit cerebrum, uerum etiam armata atq; hastata prosiliit in lucem. Et cœlestis Vrania Iouis etiam filia, non solum syderũ situs, ortus, occasus, reditus, doctrina cõplectitur, quę Astronomia dicitur: sed etiã medicos instruet, etiam nautas docebit, quasi rerum euenta & signa, eosq́; προρρητικοὺς faciet, & Apollo ipse cum morborum

causas

causas & remedia sciet. tũ etiam Aescu lapium docebit inprimis, mortales à morbis atq; cruciatibus liberare. Hęc omnia naturæ sunt, & eorum qui Physici nominantur. hæc scire, liberale atque ingenuum est: hæc exercere fructuosum plerunque: sæpe necessarium hominibus.

Sed quoniam omnia hominum sunt creata gratia: non tantùm corpus curandum est, (id quod medicorum est) sed multò magis animus est uirtute colendus: & bonis moribus ornanda mens est. Et pręclarè Socrates, cùm ab Archelao magistro suo, principia quædam & quasi semina de doctrina morum accepisset: ipse neglectam hanc doctrinam à Physicis, ita Platoni & cæteris suis discipulis tradidit: ut & ipse Plato, & huius discipulus Aristoteles, cũ aliis condiscipulis: literarum monumẽtis eam absoluerint: & nobis de officiis disputationes reliquerint: & leges explicarint: & rerumpublicarũ omnia gene-

genera expoſuerint:& quaſi doctores extiterint Regum, Legumlatorum, Magiſtratuum,Iudicum. Hæc enim omnia, ea ars quæ Ethice nominatur conſummauit: cuius potẽtiſſima pars eſt Politice:quę abſque Oeconomice non poteſt conſiſtere. Partior enim Ethicen:tum in ipſam Ethicen:tum in Politicen: tum quam Oeconomicen Plato & Ariſtoteles nominant.

Verum nullum genus rerumpublicarum ſanctius eſt quam Chriſtianorum: & nemo de ciuitate Dei melius præcepit quam Theologi: itaque quarta hæc ſpecies propria Theologię eſt:& Doctores habet cùm Deum ipſum, tum Prophetas, tũ Apoſtolos, tum Euangeliſtas,tum eos qui patres appellantur. quo genere doctrinæ, omnes Philoſophos ſuperiorum ętatũ, omnem Academiam: atque Athenas ipſas uincimus.Horum uera ethica eſt morum diſciplina:ignorata & ſeptem totius Græciæ ſapientibus:& non cognita

gnita Thaleti & Ionicis: neque à Pythagora atque Italicis intellecta, æquè non notata à Socrate, neque ab iis qui Socratem secuti sunt: Academicis, Stoicis, Peripateticis animaduersa: eaqúe talis atq; tanta, ut nihil humanum & caducum: sed omnia diuina atq; immortalia esse appareant: & talia sint qualia esse uidentur.

Et quæ hactenus cõmemoraui, propria sunt Academiæ nostræ, quam instituistis. Nam tertiam partem quę sermonis est & linguarum & artis disserendi atq; facultatis dicẽdi: ita in classicis epistolis distribuimus, & ita coluimus: ut pene propria scholarũ nostrarum sint, atq; habeantur.

Quomodo uerò illa superiora duo genera: quorũ unum naturæ est, alterũ morum, tradi ita possint: ut, cũ omnia in scholis legi et explicari nõ possint: tamen ab omnibus mediocriter intelligi atque teneri queant, quoniam istud munus mihi mandastis: exponere insti

tui

tui Academicis epiſtolis, non ut leges feram cuiquam, ſed ut meam ſententiam aperiam, & ſuum cuique relinquam iudicium.

Atq; huius rationis conſcriptio ſi uobis atq; Senatui placebit, aſſequar quod uelim in hoc tẽpore. ſin minus, tamen quia ueſtrum mandatum eſt, cõtra officium non faciam obſeruantiæ: cuius ſatis firma defenſio eſt cõtra impudentiæ uituperationem. Valete.

CAROLO MIEGIO CONSVLARI ET SCHOlarchæ.



VONIAM INSTITVTVM Academię noſtrę eſt, ut omnia, quoad animus humanus aſſequi poſſit, conemur docere: oportet nos præceptores omnia didiciſſe, id quod nondum adepti ſumus. Neq; enim uideo quẽquam noſtrũ iſtud ſibi potuiſſe promittere, neq;, ut ſentio, promiſis

quiſ-

quiſquam. aut ſi promiſit, fecit id magis ſtudio & cupiditate: quam rei diffi cilis & arduæ cognitione. Si quis Platonis libros omnes legat, aut etiam Ariſtotelis, Plutarchi etiam: quotus quiſque eſt, qui non putet eos omnia audiuiſſe, interrogaſſe, cognouiſſe? at quot quantæúe res iis defuerunt? Credo equidem, & uerum credo: ſi omnium Philoſophorum, ſiue Epicurei illi ſint, ſiue Academici, cum ueteris tũ nouæ Academiæ, ſiue Stoici: horum inquam omnium: atque cæterorum Græciæ totius ſapientum ſi quis doctrinas cogat & redigat in ordinem: tamen uidebit, eos potius omnia uoluiſſe quam potuiſſe: & magis partitos eſſe quàm explicaſſe: quæcunque Philoſophia profitetur. Et ut nihil aliud eſſet: certè nihil de Deo, nihil de mundi creatione, nihil de natura hominis: nihil de hominum reditu in uitam dicere potuerunt. Poëtæ Iouis filios auſi fuerunt, & filias nominare: at quan-

tum

tum aberrarunt unà cum Philosophis à ueri filii ueſtigatione, ut de cognitione taceam. Iam in Phyſicis atq; Mathematicis poſterioribus: multa inuenta ſunt, quæ à primis ſapientibus fuerunt ignorata. Et tametſi hęc ità ſint: tamen quoniã Philoſophus unus omnia qua ſi profitetur: & id aſſequi omnes ſunt moliti, ut omnia cognoſcerent & traderent: cur non nobis idem quod illis conceſſum ſit? aut cur nos minus quã illi poſſimus adipiſci induſtria? an libri nobis deſunt? an otium? an ſtipendia, aut facultates? an denique ingenium? quo ſi cedimus ueteribus, magis id fit corruptela diſciplinæ, & ignauia noſtra: quam naturę facultate, cuius bonitas non minus Dei donum, & beneficium eſt: quàm frugum atque annonæ. Protulerunt ſanè ætates, aliæ aliis & plures, & acutiores, & doctiores homines: ut anni etiam alii ab aliis ſuperantur fertilitate. & habeant Arabes plures ingenioſos uiros, quam Germa

nia habeat:non tamen idcirco Dei tollenda eſt benignitas: qui humanę mentis eſt illuminator. Omne enim ingenii lumen: à Deo proficiſcitur.

Itaque fuerint doctæ Athenę: & floruerint ibi Poëtæ, Mathematici, Philoſophi:non tamen ſemper floruerũt eodem modo. neque nobis idcirco negatum eſt; quia illis iſtud ante nos conceſſum fuit: & monumenta literarum, nobis reliquerunt: quæ nos docent, quot res & quantas illi doctrina complexi ſint: casq; intelligunt homines eruditi: & quantum primis additũ à poſterioribus: & quantum poſterioribus adiungi à nobis poſsit: ſunt qui conſiderant, & qui animaduertũt qua uia ad hanc facultatem perueniatur. Sed σὺν δύω ἐρχομένω, ut ille ait, συζητήσει opus eſt: & ut ille ait in re mala: ita nos in bona loquamur: tradendæ nobis operę ſunt mutuæ: ut ſi ſinguli omnia aſſequi non poſſumus perfectè: tamen aſſequamur mediocriter ſinguli ſingu

la,

la. certa uerò unusquisque pro suo ingenio excolat: cætera, quoad poterit, attingat: & ex aliis suis collegis cognoscat: ut, quod singuli non habeant, id possideant uniuersi. Quamobrem si uos uelitis autores mihi & collegis meis esse: uos efficere possetis, ut artiũ & librorum, quos legamus, inter nos distributionem instituamus: ut paucis annis, non in libris atq; bibliothecis: sed in mente atque memoria, omnia inter nos & diuisa, & cognita, & acquisita possideamus: quæ quidem ueterum libris sunt conseruata. Partiantur igitur inter se Theologi, autores quos domi legant, siue Græci illi sint, ut Ecclesiastici sunt historici: ut Chrysostomus, ut Basilius, ut Nazianzenus, cæteriq;: siue Latini, ut Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus.

Idem faciant in suis scriptoribus Mathematici, & Physici. Ego ad dicendi præcepta, & ad Ciceronẽ atq; Demo-

sthenem: libenter hoc anno apponam Platonis & Aristotelis libros de Republica, & de legibus, & quæ illi de moribus tradiderunt. Idem alii elaborent in historicis, & Poëtis: ut his instructi, in congressionibus & sermonibus quotidianis: in disputationibus & scholis: in declamationibus rhetoricis, appareat: quot & quantas res mens humana adipisci possit, si conetur: et si rectam rationem & uiam ingrediatur: quantos queat progressus facere animus hominis: communicatis studiis: distributis laboribus: distinctis horarum spaciis: ratione denique ac uia modoque bono.

LAVRENTIO TVPIO, DOCTORI IVRE-consulto.



REDO ET TIBI PERMOlestum esse, toties *Institutiones* Iustiniani Imperatoris repetere: & iis qui te audiunt, iniucundum: nihil

nihil abs te preter Institutiones cogno
scere. Atque etiam obficit laudibus Aca
demiæ nostræ: tam paucos nos in no-
stro gymnasio Iuris habere interpre-
tes. Scio sic à maioribus nostris con-
stitutum fuisse: & idem retinuisse: nisi
unum habere legum explicatorem: &
creditum ab illis fuisse: Iuris studiosos
dissolutiores esse: quam sint reliqui di-
scipuli: qui bonis literis & Theologiæ
præcipuè operam nauant.

Ac tametsi in cæteris Academiis a-
liqui petulantiùs uitam instituunt: qui
hoc studium colunt. Quanquam
quid dico colunt? non colunt qui ui-
uunt turpiter: sed uiolant uitiis: & unũ
ex primis huius doctrinæ præceptis
negligunt. Vbi enim illud est? HONE-
STE VIVERE. tametsi igitur aliqui
sint: qui uiuũt petulantius: tamen hos
possumus nos nostris legibus coërce-
re. Et usu comperimus, paucitate hora
rum: non solùm adolescẽtes, sed pæda
gogos etiam ipsos ocio uel deprauari,

uel languescere: ut antè à nobis discedant: quàm utrisq; expediat. taceo, quòd etiam ciuium nostrorum liberis hæc paucitas, quæ inopiæ consimilis est, noceat.

Itaq;, si meum cõsilium locũ haberet, suaderẽ, ut tu cũ Beuthero: & Hugone Blotio: & Vuiluesheinio: Pandectas partiaris: ut reliqs Academius etiã hac parte philosophiæ cõponi possimus.

Iuris uestri fontes habetis in Philosophorum libris de Republica, & de moribus: qui libri posthac diligenter in nostris scholis explicabuntur. præclarè facietis: si et uos uestros riuos ad suam reducetis originem: & illi ex suis fontibus ad uos riuos suos deriuent.

Hac uia, & ratione hac, & iucundius euaderet Iurisprudentiæ studium: & labor esset facilior: & plenior fieret legum doctrina.

Vt enim fontiũ amœnior est aspectus: & sapor suauior, quàm riuorum: & ut pisciculi in illis riuulis, qui è fonti

bus

bus demanant, ſunt ſalubriores atque delicatiores: ut ſunt ſalares, & murenulæ noſtrates: ſic ſuam & diſcunt hanc artem maiore cum uoluptate, philoſophorum pręceptis imbuti: & ſanius adferunt ad controuerſias diſtrahendas iudicium: idq́; minore labore & facilio re contentione: propter dialecticorũ rationes, quas tradunt philoſophi: & quas ſequuntur in morum atque legum diſciplina. Et quid quæſo cauſæ eſt? quod Iuris ueſtri capita uſque adeo mutilata ſunt? niſi quod πραγματικοὶ magis fuerunt: quàm ἐπιστημονικοί? & cum in ſingulis occupati eſſent: neq; intueri potuerunt res uniuerſas: neq; uniuerſam rem in partes diuidere. quas quoniam ignorarunt, & philoſophorum fontes non guſtarunt: ſtagnis ſuis contenti: fructuoſis quidem ſuo genere piſcium: opes potius atq; facultates comparare: quam ſapientiã atq; doctrinam perfectam excolere uoluerũt. Nam quod Cicero uel Craſſus

apud Ciceronem, ſermone primo de Oratore: paucis menſibus Iuris ſapientiam pollicetur. nõ potuiſſet iſtud profiteri, niſi his artibus Philoſophorum atq; Dialecticorum fuiſſet inſtitutus. Hæc habui quæ in hoc tempore tibi pro noſtra neceſſitudine ſcriberem, tu, ſi quid melius habeas, ut Horatius ait: Candidus imperti; ſi non, his utere mecum.

DOCTORI MICHAELI BEVTHERO.



ASYPODIO EXPONAM meam ſententiam, de tribus noſtræ Academiæ uoluminibus, quibus contineatur uniuerſa Mathematicorum doctrina: ut iis perceptis: quiuis poſſit & diſcere priuatim: & docere publicè: quæ ſunt reliqua. Statui autem utile fore noſtro inſtituto, ut duo prima uolumina in duabus explicentur

centur superioribus curiis: tertiũ publicè omnibus explanetur. Et hæc ratio quoniam uobis heri extra ordinem in uestro cõsilio comprobata est, rursus ego certè approbo, &, ut felix ea sanctaque sit nostris ciuibus, atq; etiam exteris nationibus opto.

Sentio autem primo uolumine cõprehendẽda esse quatuor artium principia: Geometriæ, Logisticæ, Astronomiæ, Geographiæ. Principia uerò στοιχεῖα ea uoco prima: quę tradũtur ante problemata, & theoremata: ut sunt definitiones, partitiones, axiomata, ætemata: quibus scilicet principiis insequentia probantur, ac demonstrãtur: proposita, siue ad efficiendum aliquid directa illa sint; siue ad intelligẽdum.

In secundo uero opere, doctrina tradetur maior logistices: & regulæ comprehendentur logistices cùm quotidianæ: tùm illius quæ astronomica à uobis nominatur. Plenior etiam doctrina Astronomiæ, de primo motore glo

bi, & cœli motu: de terræ situ: de cœlestibus circulis: de ortu & occasu sy derum: de dierum atque noctium differentia: zonarum & climatum descriptiones: explicatio etiam aliqua de solis defectionibus. non ut hæc demonstrentur more uestro Mathematicorum: sed ut, quę sint & qualia existant, agnoscantur. Nam & nos scimus discrimen illud uestrum: τοῦ ὅτι καὶ τοῦ διότι.

Iam tertium uolumen complecti debet horum omnium ἀποδεικτικὴν explicationem: & ἀνάλυσις sex librorũ Euclidis: & confirmationes logisticarum præceptionum: & Gebranum κανόνα: etiam Astronomicas conclusiones primi motoris: & Theoricas expositiones planetarum.

Et quanquam hæc tria sunt uolumina: non tamen idcirco ternas singulis oportet impendere horas: sed singulas. sunt enim ingenia tribus distincta locis: primæ & secundæ curiæ, & publico

blico

blico auditorio. concedes enim mihi Beuthere ut in nostro instituto: uerbo mihi Quintiliani & Plinii uti liceat. Ergo & classicis ipsis spacium datum est, ad reliquas scholas: quas dicendi et differendi ratio requirit: & qui publici uocantur: una hac occupati, tres poterunt & amplius reliquas horas in aliis studiis adiungere: quarum diligēs habenda ratio est: & distinguēda sunt ea quæ cognoscuntur quotidie: ab illis, ad quæ paucis horis fit digressio. Quotidie enim, si fieri poterit, doceri debent Ethica, & Physica, & Dialectica Aristotelis: at satis est, te binas horas dare duobus tuis globis: uno Astronomorū, altero Geographorum.

Sed ego classes, quas uocamus: cupio quam literatissimas esse. In his enim fundamenta ponuntur architecturæ nostræ: in his nostræ agriculturæ seminaria: ex his ad publica subsellia ascendunt: qui nobis, qui publici uocamur, præscribunt: quantas res scire, &

quo-

quomodo eas docere debeamus. Nã qui frequentia delectatur eorum, qui audiunt: qui eos iuuare & docere uolunt: eos oportet excellentius aliquid facere: quàm in classibus perceperint.

Et quantum ad Mathematicorum doctrinã attinet: satis instructi sumus à Dasypodio: te præsertim adiutore. quorum uterque hæc præclarè tradere potest: & uterque studiosi estis linguarum: & cupidi elegãtiæ literarum: & inimici impuritatis: & hostes barbariei: & uterque Academiæ nostræ uultis & causam, & amplificationem, & laudem perpetuam. Non enim iis qui uiuunt prodesse uolumus: sed posteris etiam nostris, quod diuturnum & perpetuũ sit, tradere. Vale mi Beuthere.

CONRADO DASYPODIO MATHEMATICO.



EMINI ME IN QVADAM epistola ad Capitonem Theologum olim urbis nostræ Martinum Luthe-

rum ſcribere: ex omnibus ſcriptis ſuis, nullum eſſe quod ſibi probetur: præter Catecheſim ſuam; & alterũ quoddam, quod nominare non uolo. propter infeſta & pernicioſa noſtro tempore Eccleſiarum diſſidia.

Sanctiſſima apud me eſt Lutheri memoria; itaq; libenter utor eius quaſi autoritate; & nihil eſſe aio in hac conſtitutione Academiæ noſtræ: quod mihi magis placeat: quàm primordia ipſa, quæ in duobus libris quos ante annos triginta duos de literarum ludis rectè aperiendis edidi, apparent: & renouata ſunt in claſſicis à me epiſtolis.

Ac certè ſi interroger: ſi alterutro carẽdum ſit: utrum claſſicam illam rationẽ, mallem aboleri; an ab hac Academiæ conſtitutione recedere: malim id retinere: quod annos iam triginta, ab omnibus & approbatum & laudatum extitit.

Nam tametſi propter eas artes, quę λογικαὶ nominantur; claſſes potiſſimũ

insti-

institutæ sunt: tamen hæc ipsa facultas sermonis: tum puri, tum ueri, tum diserti: ita traditur in hisce ordinibus: ut etiam reliquarum scientiarum condoceantur principia: atque præcepta intelligantur: præsertim cum ea, quæ eximia sunt apud Poëtas, & Oratores, & Historicos: quos classici interpretantur: ex Philosophorum sint deducta riuulis.

Sed præclara tamen accessio est ad uetus facta institutum: nouo Maximiliani Cęsaris Augusti beneficio. quod si Iacobo Sturmio prætore: aliisq́ꝫ etiã prætoribus, atq́ꝫ consulibus, Theologisq́ꝫ: quorum magna per totam Europam autoritas erat, obtineri potuisset: perfectam iam, quam nunc quærimus, haberemus Academiæ constitutionem.

At ita hæc instituenda est: ut ne classium puritas negligatur: & ut ne his ipsis auferatur: eorũ omnium, quæ inde ab initio huc usq́ꝫ sunt professæ.

Primum

Primum igitur abs te contendo: ut principia Mathematicorum in hisce curiis supremis duabus doceãtur: duobus illis, de quibus inter nos locuti fuimus, uoluminibus: quorum alterũ abs te habemus: quod secundæ curiæ erit: alterum à te etiam expectamus: & primæ curiæ conficiendum: ut ii, qui ex primo ordine progredientur: quod reliquum est in hisce studiis, biennio comparare & absoluere possint. Atque hisce principiis, Euclidis primum librum addo: ut in libro de literarum ludis traditur. Nam quoniam ἀποδεικτική, explicatur in prima tribu: cur non Euclidis hic primus liber? qui solus omnium eorum quæ in hac logicæ parte docentur, exempla continet: & nihil est, quod doctrinas magis obscuret: quam exemplorum inopia: immò absque hisce elementis: ea quæ ἀποδεικτική dicitur, percipi non queat.

Vnum

Vnum igitur istud est: quod classibus adimi nolim: imò quod adiungi uelim: ut & amplius aliquid explicetur: & omnia dilucidè intelligantur: quæ in hac gymnasii nostri parte sunt cognoscenda.

Alterum est: ut ne accessione Mathematices, puritas sermonis Latini corrumpatur. Habent enim omnes scientiæ, sua propria rerum uocabula: quæ aut non in Græcis rectè intellecta: aut barbarè conuersa: ut malum fermentum, farinam totam quæ fermẽtanda ad sanitatem & uoluptatem est: corrumpit contra ualetudinem ad fastidium. sic hæc linguam contaminant: & sermonem purum uiciant.

At quid quæso laudis habuit tot iã annis ludus noster? quàm disciplinæ in moribus: & elegantiæ in loquendo atque scribendo?

Placet igitur mihi facere te, quod facere instituisti: & exponere Procli Spherã, & quę in Sacrobustani Sphę

ra utilia ſunt: & à Proclo non annotata: ea ex Græcis ſcriptoribus arceſſas: ſed Græcis retentis, aut etiam ſeorſim in fine libri purius quàm in Sacrobuſtano tradita ſunt, conuerſis: cuiuſmodi autores eſſe ſcis Ptolemæum, Achillem Statium, Proclum etiam ipſum, et Cleomedem, & Hipparchum Bithynium, & Euclidis Phęnomena, & Sphærica Theodoſii. Nō pauca etiam Theon ſuppeditabit: quos ſcriptores ſcio te omnes habere. Verùm iſta omnia bona ratione & modo: ut ne magnitudo aut cōfuſio fatiget animos diſcipulorum. Breuitas enim in multis & uariis applicari deſiderat, & in hac uarietate Horatianum illud tenendum eſt:

Quicquid præcipias, eſto breuis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles: teneantq; fideles.
Omne ſuperuacuum pleno de pectore manat.

Vt enim, quicquid pleno urceo infunditur aquæ: id defluit: ſic etiā, quicquid in docendo ſuperfluum eſt: memoriam fugit: quæ ſeſe in breuitate re-

ficit atque oblectat.

Sed ut hæc assequaris: atque efficias: horarum requiritur descriptio: de qua inter nos disseremus. Et placet mihi, ut sex horas singulis consumas hebdomadibus: binas in secunda tribu in uolumine primo: totidem etiam in prima & altero uolumine: posteriores binas publicè doceas in tertio opere binis etiam horis. προγνωστικὴν etiam quam προῤῥητικὴν uocat Laërtius: utile uidetur extra ordinem priuatim te tradere, ut prouoces acutiora ingenia ad amorem harum disciplinarum: id quod Philippum Melanchthonem factitasse animaduerto. Velim autem ignoscere te mihi quòd plus tibi imponam oneris, quàm tu mercedis assequaris. Nam istud nobis omnibus faciendum est: ut plus laboris suscipiamus: quàm superior requirebat consuetudo. Tribui uerò tibi semper laudem industriæ & diligentiæ: quam nobis, quãdiu pro rector fuisti: multis indiciis comprobasti. Vale. Argent. 69.

CON-

CONRADO DA-SYPODIO.



VAERIS EX ME DASY-podi: quem ego eſſe putẽ magiſtrum Philoſophiæ: & quem hominem dignũ tali & tanto nomine. Magnum enim certè nomen eſt: & longè glorioſius, quam ipſum Philoſophiæ uocabulum: quæ cùm ſtudium ſapientiæ ſibi uendicat: ſapientiam ueretur ſibi arrogare. Eum enim magiſtrum Philoſophiæ eſſe ſtatuo: ſi uerbum cõſideres: qui omnia quæ Philoſophus ſcire auet: ſiue illę res diuinę ſint, ſiue humanæ: omnes inquam has res, cognouit, & didicit: ſcit, & docere poteſt. Noſti illam uocem Euangelicę ſapientiæ: σὺ εἶ διδάσκαλος τοῦ ἰσραὴλ καὶ ταῦτα οὐ γνώσεις; Ieſus Chriſtus ſempiterna patris ſapientia atq; imago: quoniam ſe magiſtrum cognominari uoluit: Nicodemus rei inuiſæ & inauditæ pleriſq;

omnibus hominibus cognitionem in ipso magistro requisiuit: hominum παλιγγενεσίαν: cuius Pythagoras Philosophus nomen inuenit: rem ipsam & causam ignorauit: immò ne cogitauit quidem. Omnia requirit: qui summa efflagitat.

Sed hanc ego perfectionem atque consummationem sapientiæ: optandã potius esse credo: quàm præscribendã nostris hominibus. Mediocritate contentus, non perfecta doctrina, sed studio & uiribus: hanc facultatem metior: & eum magistrum artium atque doctrinarum esse statuo: qui ea quæ Philosophi inuenerunt atque suis monumentis literarum nobis communicarunt: si ea assecutus est, docere potest: sin minus: tamen potest per se cognoscere: & alios docere. διδάσκαλον enim Græci uocant: hoc est, doctorem: qui qualis sit absque discipulo intelligi non potest: cũ tamen μάθησις atque διδασκαλία eiusdem sint & hominis & potestatis.

Perfe-

Perfectam habent propè ſcientiam ii qui Mathematici uocantur: & tamen nemo illorum in quadrum potuit adhuc redigere circulũ: & Archimedes ignorabat id quod quærebat: antequã diceret εὕρηκα. An idcirco tum nõ Mathematicus? nequaquã: erat enim ſummus & propè perfectus: ſatis enim erat potuiſſe inuenire. Ante Socratem omnes Philoſophorum familiæ ignorabant doctrinam de moribus: quæ multas & magnas ſub ſe artes cõtinet. complectitur enim non ſolùm quæ traduntur de moribus hominum atq; uirtutibus: uerum etiam ciuitatum, quam πολιτικὴν nominant: in qua etiam eſt ἡ νομικὴ: Iuriſconſultorum doctrina: & οἰκονομικὴ: ſingulorum hominum rei familiaris adminiſtratio.

Et quanquam hæc omnia ante Socratem explicata non erant: tamen omnes Philoſophos ſeſe appellari nõ recuſabant. An idcirco ergo non Philoſophi? minimè: ſemper enim diſcen-

dum aliquid eſt. Annos ego iam quadraginta & amplius, doceo artes dicendi: & hoc ſexageſimo tertio ętatis meę anno, quotidie aliquid in his artibus obſeruo & annoto: quæ antea à me fuerant præterita. Concedamus igitur ſtultitię hominum magiſtri tanquã honoris uocabulũ: ut ſtatuãt plus Philoſophũ, quàm Philoſophiæ magiſtrũ profiteri: & ſtudio & diligentia uehemẽti, & facultate atq; doctrina mediocri: magiſtri officium deſcribamus, & eum eſſe proponamus: qui ex ſcholis Grammaticorum: adfert ſermonẽ purum atq; dilucidum: ex diſceptationibus Dialecticorum: diſſerendi præcepta Ariſtotelis Organo explicata: ex Rhetorum uerò officina: ſermonis ornati & apti doctrinam, & ſcribendi atque dicendi aliquam facultatem.

Ad hæc teneat ea quæ tribus uoluminibus, in noſtro gymnaſio & à te complexa ſunt. Hunc, inquam, decerno: ſatis inſtructum eſſe à Philoſophię

appa=

apparatu:ut quę necessaria sunt, & tradita à Mathematicis atq; Philosophis, & legēdo atq; cogitando discere queat: & dicendo explicare. & eundem ad hoc cognomentū:hunc ad istum honoris gradū,admittendū esse sentio. Sed omittēda non sunt quę sunt pręcipua: & propria Socraticorum. de Ethicis loquor & Politicis atque Oeconomicis: de quibus modo dictū est: unà cū Physicis Aristotelis, definitionibus,partitionibus: cęterisq; huius generis quę ad naturā pertinēt: cui muneri Bruno noster præpositus. quem ita cōfido explicaturum Aristotelē: ut adolescētes necessaria memoria custodiāt: cōtrouersa intelligant: sed ita,ut, quibus rationibus falsa refutata ab hoc autore sint, cum uoluptate animaduertant: quorū cognitio & distinctio & digestio: ex fallaciis sophistarū Aristotelis nostri sumenda est. Nam absque huius fucosæ artis obseruatione: nihil Aristotelicis disceptationibus possit esse magis

infrugiferum; nihil fastidiosum magis. Hæc inquam uel didicisse: uel per se posse quotidie discere perfectius: magistri Philosophiæ esse statuo facultatem atq; officium. Sed utilior futurus hic doctor erit hominum societati: si ea quæ didicerit: doceat. Est enim quidem scientiæ & doctrinę didicisse: sed est uirtutis atque officii explicare. Non enim θεωρητικὸν solùm nostrę Academicæ scholæ requirunt: sed πρακτικὸν etiam efflagitant. qui labor à discipulo suscipitur discendo: sed docendo à præceptore explicatur.

EXAMINATORIBVS.



VDIO HERI RELATVM ad uestrum consilium esse: de probatione eorum: qui lauri baccis donandi sunt. de quibus nihil certi decerni poterit: nisi cognoscatur: quarumre

rum

rum Philosophię magister sese docto-
rem esse profiteatur: de cuius officio
ego heri ad Conradum Dasypodium
scripsi: in qua epistola hæc mea est sen
tentia: ut qui eas res omnes quas Philo
sophia traditas habemus: aut teneat in
telligendo: aut tantum teneat: quantū
ad cæteras per se percipiendas absque
doctore sit satis: docere eas possit.
Nemo enim extitit unquam, qui sciret
omnia. Discendo senescimus: & quò
quis plus quā cæteri industria assequi
tur: eò doctior illis habetur atque per-
fectior. Ac uos certè qui Examinato-
res uocamini: quasi quæsitores & pro
batores ingeniorum: non minimum
onus uestris mihi humeris sustinere ui
demini. Neq; enim tum demum ue-
strum initium sumit officium: cùm pro
gressiones faciendæ sunt: & illæ sunt
in expectatione propter Autumnum:
sed inde ab initio anni: unà cum magi-
strorum, qui docēt, fide: & eorum, qui
hos audiunt, adolescentum industria

necesse est explicari. Vestrûm enim est scire: quas res doceant magistri: & quibus eas rationibus explicent: siue perpetua oratione eas tradant: siue interrogationibus explorent. Tum etiam ingenia uobis discipulorum: & facultates suis sunt ponderanda momentis: ut, antequam honos cuiq; ordine tribuatur: & priusquam quærere atque interrogare incipiatis: quid uobis pronunciandum sit: quasi diligentiæ & artificis statera sit examinatum.

Atque apes quidem examina sua cùm eiiciunt: sobolem parentes eiiciunt tanquam in nouam coloniam: ipsi uerò in suis remanent sedibus. Vobis uerò contrà faciendum est: ut adultiores extrudatis, eorumqúe in locum substituatis iuniores: nouamqúe ueluti sobolem. Illud tamen simile in uestro officio est: quòd illę eas in alia loca educant: quæ nouas sedes quærere possint: & queant mellificare: & cum primum in aluearium nouum

ingre-

ingrediuntur: fauos queant confingere: & ceram conficere: & inter ſeſe diſtinguere domicilii fundamenta : ut ipſa *κόμμωσις ἀποσοκήρῳ* diſtincta ſit: & hoc à propolide ſit ſeparatum : immò ut Rempublicam conſtituant : ſecum Regem educant: & duces atque conſilia deſcribant: quam diſciplinam ſecum deportant à parentibus atque è patria : quaſi in nouam orbis terræ regionem. in quam etiam cibum ſecũ & materiam deferunt : ut ingreſſæ in domicilium nouum: ſtatim conclauia ædificent: quæ hora una poſteaquam inuolarunt, nidolis diſtincta poſſunt conſpici.

Sic quos uos probabitis : & quos baccata corona donabitis : neceſſe eſt, ut ſecum apportent ad gradum ſuperiorem: quibus adiuuentur ad coædificandum ſapientię templa: in quibus aliquando omnia queant diuina atque humana contemplari.

Itaq; in his ſermonem primùm purum

rum & latinum atque perſpicuum requiretis: quem acceperunt à Grammaticis: deinde ornatũ ex doctrina Rhetorum: quam tradit claſſis prima: tum ueritatis regulam, non popularem trutinam: ſed Dialecticorum ſtateram: quam accipiunt duabus ſupremis curiis. His adiungentur duo uolumina Mathematica: quæ uno anno explicari poſſunt ab uno eodemq́ue interprete. Nam tertium uolumen iis comparatum eſt: qui ſeſe magiſtros artium appellari uolunt. quod duobus annis exponi poteſt ab eodem: qui duo uolumina in ſecunda & prima decuria tradit. Hæc ita diſtincta ſunt: ut cum ſenis horis omnia tria explanentur hebdomadibus ſingulis: ſinguli tamen diſcipuli: horas duas tantum: ſingulis hebdomadibus conſumant, nullo labore: ne moleſtia quidem: aut ulla impeditione reliquorum ſtudiorũ. Equidem, ſi quiſquam alius, odi epitomas: præſertim eas, quæ ab autorum uerbis &

ordine

ordine recedunt. Improbo etiam eos, qui ſcriptores ipſos docent ἐπιτομικῶς & quaſi carptim. Autoritates enim & præcepta ſuis debent autorum uerbis tradi: & ſenſum totum & rationes omnes continere: quæ in autore ſunt, nõ ſolùm in his Mathematicorum doctrinis, uerum etiam in diſciplina morum: & in naturæ explicatione. Sed hæc tria de quibus loquor uolumina: nulla in parte ab autoribus ſuis recedũt: eadem retinetur doctrina: eædem repetũtur definitiones & partitiones: eadem theoremata atque problemata: iiſdem etiam autorum idq́ optimorum, idq́ Græcorum uerbis atq́ uocabulis: integris etiam aliquando uoluminibus.

Verùm redeo ad ueſtram probationem: ſi qui ex prima curia: ad publicas ſcholas: horum duorum uoluminum baccas attulerunt: iidem ex his ſeminibus ſi ferãt: lauros excolere poterunt, perpetuis fructibus: ut nihil difficile il

lis

lis in tertio futurũ sit: quo percepto: nihil tam obscurum & reconditũ in his studiis est: quod nõ suo, ut aiunt, Marte queant discere atq; docere: id quod officium magistri esse ducimus. Si hęc omittantur, quid quęso Academia nostra habebit singulare? quomodo ad id fastigium quod propositum à nobis est: poterimus uel aspirare, uel ascendere?

IOANNI REINHARDO DIALECTICO.



VOD VOBIS CONSILIVM meum de tribus uoluminibus placet Mathematicis, uehementer gaudeo. Ita enim futurũ uideo: ut altero anno postea quam discipuli nostri ex curiis progressi erunt: magistri queant appellari. Nam si istud in Mathematicis assequemur: cur non idem comparemus in iis artibus quas λογικὰς uocant?

In prima enim & secunda tribu Diale

cticorum

cticorum utilia & necessaria propè omnia præcepta breuiter quidem sed tamen perspicuè explicantur. In iis autē non latū digitum declinaui à doctrina Aristotelica: ipsum Aristotelē & explicatores eius secutus: quorū regulas enumeraui potius in locis multis, quàm exposui: uerū ita: ut qui te iam audiunt exponentē Analytica: nihil nouū, nihil inauditū, nihil non ratione aliqua præcognitum recognoscant. Sed ut in Mathematicis, sic etiam in Rhetoricis & Dialecticis præceptis: duos esse oportet, qui has artes doceant. Atq; in Rhetoricis Erythræum & me habēt scholę nostrę: tu socio & adiutore cares. Herteliū enim nobis podagra cōtinens: doctissimum cęteroquin uirū, & utilissimū, dum ualuit, gymnasio nostro hominē, domi detinet, ut alius nobis quærendus sit: nisi Scholarchę nobis Speccerum reddant: id quod uideo obtineri nō posse: propter quotidianas in Ecclesia occupationes. Meū consiliū

si

iungemus iſta Academica: & nos ad
uetera Athenienſium referamus gym
naſia: niſi inuidioſum eſſet: libenter di
cerem: magnũ nos aliquod, & eximiũ,
& ſingulare ciuitati noſtræ ornamen-
tum cum omnium bonorum compro
batione poſſemus adipiſci.

VALENTINO E-
RYTHRAEO RHE-
tori.



AEPE ANIMADVERTI: E-
orũ qui publicè in noſtris
ſcholis docent: & Poëtas,
aut Hiſtoricos, aut Orato-
res explicant: arduum & difficile mu-
nus eſſe. & ſæpe admiratus ſum: cur in
claſſibus maior ſit frequentia: quàm in
publicis Rhetorum & Poëtarum ſcho
lis, imò ſæpe in hiſce profeſſores eorũ
deſtituantur auditoribus. Animaduer
ti autem unam eſſe cauſam; quod in cu
riis,

riis, quas uocamus, etiam inuiti retineantur disciplinæ necessitudine & temporis atque tribuum descriptione. Alterum uerò: quod in his ipsis locis inferioribus scriptores exponãtur omnis generis. Nam & Poëtas habent, Homerum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem, Græcos, præter Latinos, Vergilium & Horatium, & Historici ibi exponuntur utriusque linguæ: Demosthenis uerò & Ciceronis monumenta præcipua. Itaque ad liberas nostras scholas progressi: & res secum adferunt: & omne genus uerborum: si non aliquid à nobis cognoscant, quod nouum sit, atque inauditum, dilabuntur: & uel delabuntur ad alios qui res nouas docent: ut Iureconsulti sunt, quos huc usq; paucos habuimus: uel propter horum paucitatem otio sese dedũt, & otio pereunt. Ac reliqui quidem pręceptores suã possunt retinere frequentiã, ut hi ipsi Iureconsulti, quos spero nos habituros plures,

& Ethici explicatores, & Phyſici, & reliqui Mathematici: propter quos non uiſas merces habent: nos uerò eaſdem proponimus: quas niſi aliter exornemus, quàm in curiis claſſicis actū ſit: eueniunt illa quæ ſenſimus aliquibus eueniſſe incommoda.

Et certè qui ex aliis locis ad nos uenerunt: hac in parte ualde laborarunt: & pauci frequentiam retinuerunt: nos adhuc conſiſtimus: fortaſſis quod δια-λεκτικώτερον aliquid, & ῥητορικώτερον adferamus.

Ego ſemper animaduerti diſcipulos noſtros breuibus partitionibus in ſingulis orationis partibus: & in unoquoque genere argumentorum digeſtione delectari: & uoluptatem capere ex comparationibus exemplorum: plurimum etiam adferre ad delectationem: ſi ſententiarum genera ad ſuam reuocentur originem: & illa quæ docent, ab aliis, quæ aut concilient, aut flectāt, ſeparētur: & Democraticæ ab Ariſto-

crati-

craticis regiis distinguantur: inprimis uerò harum expolitio placet: præsertim si præmonstremus: quibus in rerũ generibus similis debeat & possit adhiberi & ordo, & ornatus. qua in re Hermogenes quidem nos adiuuat, sed subtiliter: Cicero uerò copiosè, & cũ ornatu: ex quo etiam eorum quæ ab eodem pręcipiũtur, exempla capimus. Quid enim ornatius, quid plenius quã tres libri de Oratore? quam Orator perfectus? quã de claris Oratoribus? quibus ego me imbutum & eruditum libenter confiteor. Sed dum aliquid excellentius nos facere oportet: quam in curiis faciant: interea non nobis nimium debemus magna polliceri de nostrorum discipulorum ingeniis atque doctrina. Nuper enim orationem Milonianam explicans: sensi eruditiores etiam aliquot illa ἀναλύσει oblectari. Cùm enim Exordii partem priorem quatuor generibus personarũ dissoluissem, Ciceronis, Pompeii, amicorũ

& ut Plautus ait, fauitorum: & Clodia
norum. ut posteriorem partem tribuis
sem κατασάσιν: quæ præcipuos comple
ctitur status: & planè τεχνικῶς: medio-
criter stabā hac distinctione. Sed quæ
sequebantur: sensi probari magis. indi
cabam aditū ad ipsam refutationem.
» Sed antequā ad eam orationē uenio.
proponebam Clodianū κεφάλαιον. Ne
gāt intueri lucem esse fas ei. hinc adde-
» bam Ciceronis ἀντιπροβολὴν. In qua tā-
» dem urbe. ostēdi post genus ipsum re
futationis: cuius argumentationem in
duas digessi capitū formas: quarū una
est παραδειγματικὴ: consimilis Philoso-
phorū ἐπαγωγῇ: & sex enumeraui auto
ritates atque exēpla: & illorū monstraui
συνέχειαν, quę est collocationis. Hoc de
mōstrato genere perbreui: ad alterū,
quod δεικτικὸν atque συλλογιστικόν: & primā il
lā propositionē quā Dialectici uocāt
» τὴν μείζω, transii. Atque si tempus est ullū.
& hanc indicaui conformi exemplo a-
dolescentis militis: & quū istud exem-
plum

plum à superioribus differret, non prę
terii. Inde ad illã ἐλάττω ueni: illiusq; ap
probationẽ. Insidiatori uerò & latro= „
ni. tum ad illã concinnam ἐπεξεργασίαν u=
triusq; propositionis. Est enim hęc Iu- „
dices non scripta, sed nata lex. Deindę „
breuẽ illam ἀπόστασιν subdidi: de legisla
toris sentẽtia: postremò conclusione
absolui hũc locũ. Quapropter hoc ma- „
neat in causa Iudices. Cũ uiderent quo „
modo ratio una aduersarii duplici con
traria ratione refutata esset: & animad
uęrsa collocatione singulorũ: & anno-
tatis generibus uerborũ, illorumq; or=
namẽtis: simul obseruatis sententiarũ
acumine, earumq; insignibus: & simili
bus breuiter notatis à me uirtutibus:
& usu præmõstrato: quàm latè pateat:
& ad quas quotúe res hæc forma que
at applicari: uidebatur mihi ipsos uide
re: quantũ Cicero ab aliis differat scri=
ptoribus: quantũ esset discrimen inter
Forense dicendi genus : & Philoso=
phorum aut Historicorum.

Ignoſces mihi quod hæc ego ad te ueteranum militem: & ueganium pro pe ſenem: proſpicientem Herculis po ſtem: nondum tamen ducentem ilia, ſed ferocem adhuc frenis equũ, & frena mandẽtem. ſcribo autem, uel quod delectent me adhuc iſta primæ ætatis meæ προγυμνάσματι: uel quod putem profutura iſta ſuo exemplo: ut ſi ego ſenex iſta non negligam: cogitent qui me ætate ſequantur: nihil dedecere in omni ætate: quod iuuẽtuti alieno modo pródeſſe poteſt: & pertinet ad uitæ atq; muneris officium.

IOANNI BRVNONI PHYSICO.



N PHYSICIS NON DVbito, quin, ſi uelis, poſſis præclaram operam nauare: uelle autem te ſcio: cum ut patriæ proſis, & pręfectorũ expectationi ſatisfacias, & meis uo-

is uo-

is uotis respondeas: cui scis scholas no
stras esse charissimas: tum inprimis ue-
rò, ut existimationem de tè doctrinaq;
tua nostram & omnium hominum nõ
solùm confirmes, sed etiam amplifices
ad memoriam sempiternam. De fa-
cultatę tua nullum etiam nobis dubiũ
est: qui & tuapte natura es, & semper
fuisti diligentissimus & studiosissimus
harum artium: & VVitembergę Do-
ctores habuisti, posteaquã à nobis pro
fectus ad eas partes fueras: VVitẽber
gæ, inquam, & in Italia homines litera
tissimos & eruditissimos: inprimis ue-
rò Cardanum uirum iam in omni Phi
losophia: tum pręcipuè in hisce tuis stu
diis exercitatissimum: cuius familiari-
tas, ut sæpe sensi, te solet etiam in his
remotissimis ab eo locis delectare.
Sed tamen in hac tua uoluntate & in-
dustria, & facultate: arduum & diffici-
le munus sustines: dum Aristotelis do
ctrinas profiteris & explicas. Nam ta-
metsi hic autor optima uia & ratione

si locum haberet: suaderem ut Theophilum Golium adiungerent: & alius quæreretur: cui decima curia committeretur: reliqui ordine ad superiores tribus ascenderent, id quod minori stipendio fieri possit: & omnium eorum qui succederent gaudio atq; lętitia.

Si hic Analytica priora demonstraret; & tu posteriora explicares: à te acciperemus quotannis: qui magistri atque doctores Dialectici dici & haberi & esse possent. Sin obtineri non queat: id quod non puto: duplicandum tẽpus esset: & protrahendum curriculum studiorum: id quod aliis moram: Dialecticis fastidium: omnibus sumptus atque impensas maiores pareret, & ærarium Academiæ non paruum detrimentum faceret.

De modo docendi, & de explicandi elegantia non est quod te moneam: nosti optimũ docendi modum esse positum in explicandis uerbis Aristotelicis; in exemplis; tum in demonstrationibus

nibus Mathematicorũ, tũ in Dialecti-
cis conclusionibus Ethicorum: quorũ
magnã copiam Plato noster suppedi-
tabit. Philippus Melanchthon, quẽ ho
noris causa nomino: cũ alia multa scri-
psit præclarè: tum in exemplorum ex-
plicatione & acutus fuit, & perspicu-
us. quos tu libros discipulis commen-
dabis ut domi legant: non enim expli-
catorem maximopere requirũt: lecto-
re contenti diligentiore.

Quid de elegantia tibi scribam? æ-
què enim atque ego perspicuitatem a-
mas, & puritatem sectaris, & ornatum
quæris, & quod aptum atque decorũ
est: in dicendo requiris.

Duæ enim sunt res, propter quas
scholæ nostrę multos iam annos maxi
mè laudantur: disciplinæ grauitas, &
eloquentiæ studium: quorum utrum-
que nisi retineamus: actum est. & eam
quam inuenimus superioribus annis
laudem, nouo isto instituto amittere-
mus. Sed si & has retinebimus: & ad-

iungemus ista Academica: & nos ad uetera Atheniensium referamus gymnasia: nisi inuidiosum esset: libenter dicerem: magnũ nos aliquod, & eximiũ, & singulare ciuitati nostræ ornamentum cum omnium bonorum comprobatione possemus adipisci.

VALENTINO ERYTHRAEO RHEtori.



AEPE ANIMADVERTI: Eorũ qui publicè in nostris scholis docent: & Poëtas, aut Historicos, aut Oratores explicant: arduum & difficile munus esse. & sæpe admiratus sum: cur in classibus maior sit frequentia: quàm in publicis Rhetorum & Poëtarum scholis, imò sæpe in hisce professores eorũ destituantur auditoribus. Animaduerti autem unam esse causam; quod in cu

riis,

riis, quas uocamus, etiam inuiti retine-antur disciplinæ necessitudine & temporis atque tribuum descriptione. Alterum uerò: quod in his ipsis locis inferioribus scriptores exponãtur omnis generis. Nam & Poëtas habent, Homerum, Pindarum, Sophoclem, Euripidem, Græcos, præter Latinos, Vergilium & Horatium, & Historici ibi exponuntur utriusque linguæ: Demosthenis uerò & Ciceronis monumenta præcipua. Itaque ad liberas nostras scholas progressi: & res secum adferunt: & omne genus uerborum: si non aliquid à nobis cognoscant, quod nouum sit, atque inauditum, dilabuntur: & uel delabuntur ad alios qui res nouas docent: ut Iureconsulti sunt, quos huc usque paucos habuimus: uel propter horum paucitatem otio sese dedũt, & otio pereunt. Ac reliqui quidem prȩceptores suã possunt retinere frequentiã, ut hi ipsi Iureconsulti, quos spero nos habituros plures,

& Ethici explicatores, & Physici, & reliqui Mathematici: propter quos non uisas merces habent: nos uerò easdem proponimus: quas nisi aliter exornemus, quàm in curiis classicis actũ sit: eueniunt illa quæ sensimus aliquibus euenisse incommoda.

Et certè qui ex aliis locis ad nos uenerunt: hac in parte ualde laborarunt: & pauci frequentiam retinuerunt: nos adhuc consistimus: fortassis quod διαλεκτικώτερον aliquid, & ῥητορικώτερον adferamus.

Ego semper animaduerti discipulos nostros breuibus partitionibus in singulis orationis partibus: & in unoquoque genere argumentorum digestione delectari: & uoluptatem capere ex comparationibus exemplorum: plurimum etiam adferre ad delectationem: si sententiarum genera ad suam reuocentur originem: & illa quæ docent, ab aliis, quæ aut concilient, aut flectãt, separẽtur: & Democraticæ ab Aristo-

crati-

craticis regiis distinguantur: inprimis uerò harum expolitio placet: præsertim si præmonstremus: quibus in rerũ generibus similis debeat & possit adhiberi & ordo, & ornatus. qua in re Hermogenes quidem nos adiuuat, sed subtiliter: Cicero uerò copiosè, & cũ ornatu: ex quo etiam eorum quæ ab eodem pręcipiũtur, exempla capimus. Quid enim ornatius, quid plenius quã tres libri de Oratore? quam Orator perfectus? quã de claris Oratoribus? quibus ego me imbutum & eruditum libenter confiteor. Sed dum aliquid excellentius nos facere oportet: quam in curiis faciant: interea non nobis nimium debemus magna polliceri de nostrorum discipulorum ingeniis atque doctrina. Nuper enim orationem Milonianam explicans: sensi eruditiores etiam aliquot illa ἀνάλυσι oblectari. Cùm enim Exordii partem priorem quatuor generibus personarũ dissoluissem, Ciceronis, Pompeii, amicorũ

& ut Plautus ait, fauitorum: & Clodia
norum. ut posteriorem partem tribuis
sem καταστάσει: quæ præcipuos comple
ctitur status: & planè τεχνικῶς: medio-
criter stabã hac distinctione. Sed quæ
sequebantur: sensi probari magis. indi
cabam aditũ ad ipsam refutationem.
» Sed antequã ad eam orationẽ uenio.
proponebam Clodianũ κεφάλαιον. Ne
gãt intueri lucem esse fas ei. hinc adde-
» bam Ciceronis ἀντιπροβολὴν. In qua tã-
» dem urbe. ostẽdi post genus ipsum re
futationis: cuius argumentationem in
duas digessi capitũ formas: quarũ una
est παραδειγματικὴ: consimilis Philoso-
phorũ ἐπαγωγῇ: & sex enumeraui auto
ritates atq; exẽpla: & illorũ monstraui
συνέχειαν, quę est collocationis. Hoc de
mõstrato genere perbreui: ad alterũ,
quod θετικὸν atq; συλλογιστικὸν: & primã il
lã propositionẽ quã Dialectici uocãt
» τ μείζω, transii. Atq; si tempus est ullũ.
& hanc indicaui conformi exemplo a-
dolescentis militis: & quũ istud exem-
plum

plum à superioribus differret, non prę
terii. Inde ad illã ἐλάττω ueni: illiusq; ap
probationẽ. Insidiatori uerò & latro= »
ni. tum ad illã concinnam ἐξεργασίαν u=
triusq; propositionis. Est enim hęc Iu- »
dices non scripta, sed nata lex. Deindę »
breuẽ illam ἀπόστασιν subdidi: de legisla
toris sentẽtia : postremò conclusione
absolui hũc locũ. Quapropter hoc ma- »
neat in causa Iudices. Cũ uiderent quo »
modo ratio una aduersarii duplici con
traria ratione refutata esset: & animad
uęrsa collocatione singulorũ: & anno-
tatis generibus uerborũ, illorumq; or=
namẽtis: simul obseruatis sententiarũ
acumine, earumq; insignibus: & simili
bus breuiter notatis à me uirtutibus:
& usu præmõstrato: quàm latè pateat:
& ad quas quotúe res hæc forma que
at applicari: uidebatur mihi ipsos uide
re: quantũ Cicero ab aliis differat scri=
ptoribus: quantũ esset discrimen inter
Forense dicendi genus : & Philoso=
phorum aut Historicorum.

Ignoſces mihi quod hæc ego ad te ueteranum militem: & ueganium prope ſenem: proſpicientem Herculis poſtem: nondum tamen ducentem ilia, ſed ferocem adhuc frenis equũ, & frena mandẽtem. ſcribo autem, uel quod delectent me adhuc iſta primæ ætatis meæ προγυμνάσματα: uel quod putem profutura iſta ſuo exemplo: ut ſi ego ſenex iſta non negligam: cogitent qui me ætate ſequantur: nihil dedecere in omni ætate: quod iuuẽtuti alieno modo prodeſſe poteſt: & pertinet ad uitæ atq; muneris officium.

IOANNI BRVNONI PHYSICO.



N PHYSICIS NON DVbito, quin, ſi uelis, poſſis præclaram operam nauare: uelle autem te ſcio: cum ut patriæ proſis, & præfectorũ expectationi ſatisfacias, & meis uo-

is uotis respondeas; cui scis scholas nostras esse charissimas: tum inprimis uerò, ut existimationem de tè doctrinaq́; tua nostram & omnium hominum nō solùm confirmes, sed etiam amplifices ad memoriam sempiternam. De facultate tua nullum etiam nobis dubiū est: qui & tuapte natura es, & semper fuisti diligentissimus & studiosissimus harum artium: & VVitembergę Doctores habuisti, posteaquā à nobis profectus ad eas partes fueras: VVitēbergæ, inquam, & in Italia homines literatissimos & eruditissimos: inprimis uerò Cardanum uirum iam in omni Philosophia: tum pręcipuè in hisce tuis studiis exercitatissimum: cuius familiaritas, ut sæpe sensi, te solet etiam in his remotissimis ab eo locis delectare.
Sed tamen in hac tua uoluntate & industria, & facultate: arduum & difficile munus sustines: dum Aristotelis doctrinas profiteris & explicas. Nam tametsi hic autor optima uia & ratione

doceat, & ſit, ut nunc loquimur, præ cæteris ſcriptoribus omnium temporum methodicus: tamē quoniam illius copia ad breuitatē contracta eſt: ex ſcriptore perſpicuo, obſcurus effectus eſt: & doctrina omnis non tam exponatur copioſè, quàm enumeretur cōciſè: reddita eſt ſubtilior: quæ ſubtilitas peperit tenebras: quibus intelligentia impeditur, & fatigatur memoria: niſi artificem nacta ſit, qui omnem difficultatē depellat, noua aliqua uoluptate: quam ego quatuor in rebus poſitã eſſe puto: & arbitror te etiam animaduertere.

Earum rerũ prima ratio eſt, ut uerborũ uis intelligatur & retineatur in omni explicatione: in qua ego ita ſoleo eſſe ſolicitus, ut uel ab Ariſtotele non ſoleam diſcedere, uel ultra Themiſtii paraphraſim procedere.

Altera ratio eſt poſita in ipſis Exordiis diſputationum: quas Rhetores in ſuis cauſis καταστάσεις nominant: problemata, inquã, totius futuræ diſceptatio

nis.

nis. Hæ si ita demõstrentur, ut ordo animaduertatur, perfectio intelligatur, res ipsæ uideantur: omniaq́ꝫ ad memoriã, in extrema parte scholarũ reuocentur: tolletur difficultas: discutientur tenebræ: fiet onus leuissimũ: quod, antequam intelligebantur: grauissimum uisum est.

Tertia ratio est, in refutationibus cõtrariarũ opinionum: quas ostẽdit esse, aut falsas esse, aut res earum effici fieriúe, aut esse nõ posse: earum scilicet, ut Dialectici & Physici uocãt, τὸ ἀδύνατον. Hic suaue est ex præceptore intelligere causas erroris ex sophisticis elẽchis: & ueritatem earum rationũ: quas contra inediã attulit Aristoteles. Sed hic cauẽda prolixitas est: & nihil est quod huc maius lumen adferat, quam breuitas: quę sita est tum in expositione eius qui docet: tum etiam interrogatione. Nõ enim in hac Philosophia perpetua oratio semper utilis est: sæpe animus interrogando, & excitandus est, & docendus. Quar-

Quartum est: in Aristotelis doctrina demonstranda: nam superiora ἀνασκευαστικὰ sunt: hæc uerò κατασκευὴν requirunt: & confirmationem desiderãt argumentationum: & indicationem ordinis: in quo definitiones, & partitiones, & quæ ex his deducũtur problemata & theoremata continentur. in quorum tractatione, quoniam in dubiis generibus argumentationum uersatur: quarum una est συλλογισμῶν, altera ἐπαγωγῶν: sæpe hæc aliqua copia illustranda sunt: ut singulorum & partes, & collocatio, & numerus teneatur. Sed quid ego hasce aues ad tuam bibliothecam Athenasq; tuas? nõ enim hęc scribo: ut te doceam, sed ut uideas, me etiam aliquando philosophari: & ut omnes intelligant quæ docendi ratio in hac nostra noua Academia sit proposita.

HVGO-

HVGONI BLOTIO:

IVRECONSVLTO: DO-ctori Ethico.



QVOD HERI MIHI DIXIſti Bloti: moleſtum eſſe iis qui te audiunt: primū quod à quinto Ariſtotelis libro de Moribus initium ſumpſeris: deinde quod hora quarta pomeridiana eam doctrinam tradas: utrumq; credo uerum: & miror te hac incommoditate gemina: tamen retinere diſcipulorum frequentiam.

Lætor tamen: quod ita doceas: ut neq; tenebrę noctis: neq; frigora hyemis, quicquam imminuant uel in te de diligentia: uel in tuis auditoribus de aſſiduitate. Videbaris autem mihi in eodem heſterno ſermone noſtro: aliquam requirere horarum diſtributionem: & locorum diſtinctionem aliam: quam quæ inſtituta eſſet. Equidem quemadmodum iſta in publicis ſcho-

lis

lis describi & discerni debeant: cum in duobus libris de literarum ludis, exposui: tum in classicis meis epistolis. Et hæ Academicæ nostræ aliquid etiam lucis adferunt: sed tibi tamen breuiter meam exponam sententiam. Si horam quisque suam magister postulet: & tamen in eodem loco, in quo etiam reliqui docent: qui publicis scholis præfecti sunt, docere uelit: neque multi docere poterunt: neque multa poterunt explicari anno uno. Et istud esset potius suam autoritatem augere: quàm singulorum utilitatem quærere. Si omnes uelint eandem sibi dari frequentiam: & auditores eosdem: iniquum postulant: & ingeniorum genera confundunt, atque æquè ut superiores rem suam quærunt. Si unus arbitretur annis se duobus posse Organum Aristotelis, ut oportet, explicare: aut doctrinam naturæ tradere, quemadmodum decet: aut absoluere, ut rei magnitudo requirit, disciplinam morum & rerum

publi-

publicarum : is mihi rei magnitudinẽ non uidetur rectè cõsiderare, sed plus oneris humeris suis imponere, quàm uires sustinere & perferre possent. Cur non in cæteris artibus atque doctrinis: eadem queàt retineri aut institui ratio: quæ in scholis Grammaticorum, & in classibus? In curiis enim sex iisdem horis docent omnes: ita ut nullus transiliat sua septa: & alterius possessionem occupet aut impediat: & in quarta & tertia curia ita explanantur autores: ut neuter præceptorum alteri obsit aut obficiat: & in secunda tribu & prima: Dialectica præcepta absque ulla impeditione traduntur. Ac tamet si puerorum ætas: & illius ætatis imbecillitas: plures præceptores & maiorẽ partitionem laborum requirat: tamen etiam maiores publicarum scholarum doctrinæ non uno possunt contentæ magistro esse: ueruntamen à paucioribus edoceri poterunt. Et sic arbitror: sic etiam, si mea esset autoritas,

statue-

ſtatuerem : ut Dialectica, Rhetorica, Mathematica , binis quotidie magi= ſtris annis duobus, hiſce publicis au= ſcultationibus explanentur. Hac etiã ratione horas ſatis nobis multas fore puto quotidie ad hæc conficienda : ſi, ut in claſſibus, bini in ſuo genere: ſepa= ratis in locis ſed iiſdem horis doceant: diſtinctione tamen librorum atque in geniorum facta, ut faciliora tradantur imbecillioribus: difficiliora peritiori- bus demonſtrentur.

Vt enim unus Ethica Ariſtotelis an nis duobus tota, ut oportet: aut etiam Phyſica : aut Dialecticum Organum unus doceat, fieri non poteſt: ἐν τοῖς δυ- νατοῖς officium noſtrum uerſatur: ſtulti tia eſt ἐν ἀδυνάτοις laborem inſtituere. Sed quoniam horarum ſatis etiam æ- ſtiuus dies ſuppeditare non poſſit: ſi quiſque ſuam uelit ſibi uacuam dari: cõ= municandæ quædam horæ binis aut ternis ſunt . Cur enim Iuriſconſulti duo ea hora qua docent Theologi: al= ter

ter Institutiones, alter Pandectas non doceat? cur nõ duo Mathematici hora prima: cur non secunda duo Ethici: & tertia Physici duo? si, ut libri discriminati sunt difficultate & facilitate: ita etiã auditores distribuantur ingeniis atq; naturis: facultate atq; progressu studiorum? Vt enim non unus cibus ægroto & sano, neq; una esca puero & uiro cõuenit: ita etiam una docendi ratio, non potest doctioribus atq; indoctioribus aggregari In campo Martio, alii magistri tyronum, alii ueteranorum, alii gladiatorum & pugilum, alii equestrium ludorum, & natationes habebant suos præmonstratores: & sæpius unò die omnes, quàm diuersis singuli. Quod in rebus leuioribus fit: id nõ uel queat, uel debeat in difficilioribus retineri? Hæc officiorum coniunctio, & horarũ separatio: primũ efficeret, ut biennio quisq; suum munus consummaret: deinde cõfusio ingeniorum uitaretur, & docti ab indoctis, aut minus eruditi ab

eruditioribus segregarentur. Tum etiam facilior erit animaduersio uiciorũ: quę corrigi necessum est: & uirtus suas audiret quotidie laudes: & disciplina non minor esset publicarum scholarũ: quam in classibus est: quæ nunc publice dissoluta est: confusa quadam petulantia, atq; licẽtia: non solùm intermissis: sed sæpe omissis auscultationibus necessariis, magno cum cõtemptu magistrorum: & ipsorum discipulorum pernicie. deniq; aptius ageretur cum studiis si quisq; sua & suos, & sua ratione bona traderet. Quanquam non nego, posse etiam horis separari eiusdẽ doctrinæ professores, & minores Physici: cum Ethico maiore coniungi: & inferiores Ethici, cum superiore Physico diei hora copulari: ut utriq; qui diligentiores sunt: ambos audire queant. Sed ita ut nõ indoctiores doctioribus immisceantur, & seueritas retineatur ordinis atq; disciplinæ. Hæc habui mi Bloti quæ tibi de horarum descriptione

ne exponerem: cũ quod de ea re priuatim collocuti sumus: tum quia tu qui Iurisconsultus es: facilè potes animaduertere.

Iustinianus enim uester Imperator & legislator: omnem Iurisprudentiæ doctrinam & cognitionem descripsit: Iustinianeis, & Pandectariis siue Prætoriis, & Papinianistis, & Lytis, & Prolytis: quinque generibus non solùm discipulorũ sed etiam professorũ. Et uelim Bibliorum etiam explicationes hoc modo distribui: & Euangelistas ab Apostolis: & Pentateuchum ab Historicis & Propheticis separari. & certis omnem hanc uarietatem distribui: ut magistris sic etiam discipulis. Vt enim nũc legũt: & superioribus multis annis docuerunt: longè fuerũt magis industrii ante Troiam Græci: qui ea decimo tandẽ tamen anno sunt potiti. quota quæso est quæq; Academia quæ istud uel tribus lustris faciat aut effecerit? Se duos magis industrii:

præsertim Tolosates qui tertio anno
ura omnia percurrũt. Biturigibus do
ctores sunt ueIociores: nam biennio
ad metam perueniunt: sed nescio an
laudabilius quã Tolosates: Parisienses
testimonia dant in suis decretis quinque
annorum: quæ singulis annis à discipu
lis nõ negliguntur: sed auditorẽ adhuc
nullũ audiui, qui queat dicere hęc om-
nia intra id tempus in scholis decreto-
rũ fuisse tradita & exposita. Sed Aure
lianos amo, qui quatuor annos pręscri
bunt, & iisdem quinquennalem labo-
rem Iustiniani consummant. Non tem
poribus ista æstimanda sunt, sed rebus
ad quas tempora debent applicari: ut
suis quæque res, & in rebus explicandis
sua quęque officia suis temporibus perfi
ciantur. Poëta uituperatur ab Aristo-
tele, qui fabulam unius diei sole proli-
xiorem facit: & Histrio reprehẽditur,
qui de cursu solis tragœdiã bonam nõ
potest peragere. Quod necessarium in
fabulis est: cur id in ueris rebus, idque
grauissimis non requiratur? Vale.

IONAE BITNERO.



TSI DOLVI IMPEDITAS fuiſſe ſucceſſiones claſſi= cas: tamē utile fateri cogor te in hac curia detineri. Nā quoniam Grammatica ad te utriuſq; linguæ præcepta adferunt adoleſcentes diſcipuli tui: oportet aliquem huic quartæ tribui præfici: qui inde à pueritia in noſtris ſcholis educa tus ſit: & annos aliquot præfuerit edu cationi puerili. cuiuſmodi tu es, atque Golius noſter: quorum uterq; inde à quadrageſimo octauo anno uſque ad hoc tempus docet utiliter. Hæc uerò curia quam tu ducis, opus habet: ut nō ſolùm Oratores audiat: uerum etiam Poëtas atq; Hiſtoricos, & ut inſtruatur omni apparatu uerborum, & uerborū copiam non ſolùm congeſtam, ſed eti am digeſtam habeat: ut Oratorum uo= cabula & Poëtarum diſtincta ſint: & in medio poſita, uideant Hiſtoricorū propria uerba & eorum inter ſe diſcri

nina,& potestates uarias. Nam huic studio & te & Iunium in tertia curia oportet incumbere: ut ad superiores duas curias sermonem purum & perspicuum secum queant apportare: & armati esse contra barbariem: quæ irrepere solet sæpenumero ex barbaris commentariis, & deprauata consuetudine aliquorum qui docent: qui sapientiam dicunt esse, loqui barbarè: & πραγματικοὺς potius χρηματιστὰς sequi: quam primos scriptores artium: quibus magis placet Thomas Aquinas, quàm Aristoteles: Scotus quàm Lactantius aut Hieronymus: Bartholus & Baldus quàm Scæuola aut Iustinianus: Auerrois & Auicennæ uoces, quàm Hippocratis aut Galeni: quæ in Academiis in auribus auditorum è faucibus magistrorum personant. usque adeò ut in Italia etiam negligi incipiat eloquentia: & ad paucos reducatur. Inquinata enim lingua latina est interpretum uitiis, & impuritas pro or

natu

natu colitur; & barbariem Ethici & Iurisconsulti pro prudentia: Physici pro ueritate: Medici pro usu: Theologi pro pietate habent. His malis uobis in hisce curiis occurrendum est: tibi præsertim & Iunio: ut à uobis adiuti: discipulos in ueterum Academicorum & Peripateticorum spaciis retineamus: quæ inter illos Græciæ puritatis, & ornatus, & copiæ, & amplitudinis fonticulos & riuulos, & flumina fiebant: à quibus stagna putida, & loca palustria, & insalubria procul remota erant: nos uerò cogimur hoc deprauato iudicio: & corruptela consuetudinis ueteris, in luto considere: nulla re alia quàm corporis uestitu elegantes: impura lingua, & barbaro uerborum sono.

Huic etiam nostro instituto: actiones tuæ Comicæ & Tragicæ conuenient. Sunt enim hæ exercitationes pro quotidiana cõsuetudine sermonis latini imò firmiores quàm quotidianus e-

rat Romanorum & Atheniensium sermo. & diutius théatra & scenę: quàm forum atq; iudicia, laudes conseruarũt eloquentiæ. Tria uolumina etiam Musica tibi commendo: quæ digesta sunt à Dauide Nepheleta: ut Dasypodio nostro, quemadmodum in actionibus scenicis: sic etiam in exercitatione Musicæ adsis: ut non Musas habeamus silẽtes: sed Camœnas nos colere canentes atq; amœnas uideamur. Odi enim ut barbariem, ita etiam tristitiam in scholis nostris, & nihil magis studia confirmat atque exornat quàm hilaritas. Et credo uultus obscuritatem Palladi in Paridis obfuisse iudicio: & spretam Iunonem in eodem arbitrio propter oculorum mœrorem, quem Zelotypia accersiuerat.

AD

AD CONVENTVM EXTRAORDINARIVM.


VDIO VOS ERYTHRAEO permiſiſſe: ut rationem aliquam tradat conſcribendarum epiſtolarũ. tametſi iſta ratio illi officiat: qua iubemur alternatim nos duo artem dicendi: & Oratores explicare: tamen non muto factum ueſtrum: & ut felix hæc res ſit Academiæ noſtræ, opto, & Deum deprecor, ut quod inſtituit utiliter perficiat. Diſputationes uerò & declamationes in nimis longum tempus differuntur: quod factum non oportuit. Et diſputandi conſuetudo nõ difficilis erat ad conſtituendum: ſi ad confirmãdum uetus illa Romanorum atq; Græcorũ diſciplina reuocaretur. Declamandi uerò exercitatio & in omnibus ſcholis & Academiis elangueſcit: & in noſtris ſemper friguit. cuius incommodi duas uideo eſſe & fuiſſe

causas: quarum prima est : quod natura difficile est , & iuuenibus scribere: & præceptoribus corrigere, quæ à discipulis sunt conscripta . Deinde quia multis ea commissa res fuit: ut pueros sibi deligerent: quorum eadem facultas non est omnium. Allatæ sunt sæpe in medium orationes : multum inter se dissimiles: non uirtutibus : id quod scholis nostris optabile esset: sed uitiis iisq; barbaris, non natura solùm ingeniorum singulorum : sed consuetudine multorum: quę puritatem uerborum labefacit: sententiarum pondera negligit: ordinem contemnit: decorum non respicit: quod in omnibus eloquentiæ partibus retinendum est. Hac ratione factum est : ut neque ego, neque Seuenus, neque Erythræus, neque Hertelius, neque Reinhardus: huic malo remedium inuenerimus . Est etiam tertia causa , quod adolescentibus uel non emendata sunt uitia ab iis quibus commissi erant ; uel emendata

negli-

negligenter: uel totæ orationes con-
scriptæ à præceptoribus: quo factum
est: ut nihil uel proprium discipulorũ:
uel perfectum allatum sit. Quarta ue-
rò causa, omnes complectitur: & uitia
continet omnia. dum enim ueterum
Rhetorum, cùm apud Romanos, tùm
apud Græcos, consuetudinem & ami
simus infelicitate maiorum: nec recu-
peramus neglig ẽtia nostra: necesse est
nos in hac parte in luto aut iacere, si ni
hil conamur: aut hærere, si eam non re
uocamus integram exercitationem.
Quænam erat illa? præerat unus quo-
tidie hisce exercitationibus: qui idone
os ad hãc facultatem eligebat: ineptos
excludebat: qui argumenta dabat quæ
dam quæ subitò tractari poterant: quę
dam quę meditationem paucarũ hora
rũ requirebant: nonnulla etiam quæ
aliquorum dierum confectionem fla-
gitabant. Voco autẽ argumenta ὑποθέ
σεις, hoc est, causas ipsas: quarum indi-
cabat locos & locorũ præcipua argu-
mẽta: & eorũ collocationes per omnes

causæ partes. Sed ad hanc facultatem non uolabant: uerùm gradibus perueniebant: quorum unus aliquis si interscindatur: graues solent casus infantiæ subsequi. Non autem omnia pręmasticabat, sed præcipua, & præscribebat, quæ in discipulorum esset officio, domi agere & elaborare: & inde in scholas afferre declamantum. Comparata uerò facultate aliqua: & firmatis uiribus dèclamatorum, coronam admittebat eorum qui audirent: & iudicium atq; censores ad suum tribunal aduocabat: qui tanquã res ageretur seria: ita de facultate declamantis iudicium faciebant: & honoris erat inter eos, qui dicebant, magna contentio. Vbi hunc inueniemus: dicetis fortassis? aut unde illum euocabimus? Quærẽdus est: si uolumus efficere: quod à nobis expectatur, & quærendus uobis quauis mercede, præsertim primis duobus annis, intra quod tempus: si rectè hæc instituetur exercitatio, nõ defuturi sunt in A=